



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

De justitia emptionis ce[n]sus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

*De iustitia emptionis census.*

Quidam cupientes effugere periculum fructuum rei, petunt a venditore, ut tutos fructus efficiat, obligando sua omnia bona, & personam, & fidejussores etiam adhibendo, ut bona omnia ad illorum fructuum certitudinem obligent. Hic contractus licitus est approbatusque ab Apostolica Sede, quibusdam circumstantiis adhibitis. 1. Ut res certa signetur, supra quam census constituatur, & hæc solum censui obligata maneat. 2. Ut hæc pereunte, venditor ad censum solvendum non obligetur. 3. Ut emptor totum pretium, quo census erit, statim ac emit, venditori solvat. Hæc secundum jus naturæ. Post constitutionem Pii V. non possunt fieri allucurationes, & fidejussiones ejusmodi, ut re censui subiecta pereunte fortuito casu, censuarius census solvere cogatur.

*De quibusdam circumstantiis in censibus.*

Solet statui pœna, ut si venditor per duos, aut tres annos pensionem non solverit, supra quam est census, spolietur. Quæ iustè exigitur, ut si proportionata culpæ, & venditor reverà in culpa sit.

In censu perpetuo redimibili solet adjungi pactum, ne per tres primos annos redimi possit; quod licitè fit, si emptor augeat pretium, quo census emit.

In eodem censu apponi solet, ut nisi intra certum tempus redimatur, sit irredimibilis. Quod si sit conditio, contractus est: ob hæc tamen conditionem venditor debet pretium minuire; si sit pœna, videtur usurarius. Hæc locum non habent post Bullam Pii V. irredimibiles census prohibentem.

Cùm venditor pensionem non solvit, solet emptor eam pretium facere, census augens: quæ circumstantia illicita est, cum venditor impotens est, & sine culpa non solvit.

Circumstantia, ut venditor in emptione census anticipatam pensionem solvat, illicita est.

In nullo temporali censu venditor ad capitale reddendum obligari licitè potest. In censu temporali, ad certum tempus, non debent omnes pensiones simul sumptæ excedere capitale.